

usque ad finem fortiter , suaviterque disponens omnia , dum decerneret pœnas , medicinam utique præparabat.

*Discretæ ætatis annos vix dum attigeramus , cùm occurrit nobis ac veluti se sponte obtulit paratum ab æterno præsidium , quod nobis nequidem in mentem venerat vel querere , vel etiam desiderare. Ducente nos , ut ita dicam , ad manum divinâ providentiâ , obvius stetit ille , quem in opus ad quod assumpserat eum , æterna sapientia sibi segregarat.*

*Quid ergo contigit , auditores ornatissimi ? Sensus unius defecatum alterius sensus ministerium supplevit : ascendit per fenestras sacra doctrina , quæ non poterat per januam introire : idest , oculorum auxilio , ars magistra nos edocuit quidquid scientiæ & veritatis aurium organo cæterorum hominum membris infunditur.*

*Lux in tenebris luxit. Dei optimi maximi existentiam , ejusque proprietates & opera didicimus : quin etiam præcipua Religionis nostræ Mysteria , ejusque & Sacramenta & præcepta mente assecuti , sacrae doctrinæ copiam hausimus , forsitan plenioram , quam si nostræ nascendo patefactæ fuissent aures , & vinculum linguae resolutum.*

*Hic tandem in speratae beneficentiæ cumulus. Labia nostra Deus aperuit , & os nostrum annuntiat laudem ejus.*

*Quidni ergo , auditores ornatissimi , ad nos etiam pertineret istud Sancti Spiritus oraculum , sapientia aperuit os mutorum , & linguas infantium fecit disertas ?*